

vsque adeò somniorum curiosos vt scribat Cicero, quod qui eis præerant, non contenti vigilantibus curis in Pasiphæphano, quod est in agro propè vrbeni, somniandi causa excubabat, quia vera, inquit, quietis oracula ducebant? quis denique Magos, non suspiceret, sine quorum doctrina, neminem quantumlibet aliis rebus ornatum, ad Persarum Regnum prouchi posse cognosceret? sed ad augurium reuertor: Initium quidem huius rei ex Arabia primum, Phrygia-que Cilicia ac Pamphylia, ad postremum & ex hac nostra Vmbria, quæ Italiæ pars est, manasse legimus. Rationem huius afferunt (vt reliquorum diuinandi generum) verisimilem quidem, quod hæ scilicet prouinciæ arbustis & pastu pecorum abundant, & idcirco qui eas incolunt, per syluas & umbriferos montes assidue vagi, circunuolantes ac circumstrepentes volucres sollicitus obseruarunt.

## ACTIUS NAVIUS.

**H**Acten<sup>o</sup> de extrema augurij origine: quo autè tempore & quàm ob causam hæc insania Romæ vehementius inolere cœpit, hinc dicam: Actius Nauius puer, & quod magis rideas pastor, Prisco Tar-

Tar-